

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CCIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

tæ fuerunt, ad quas, in summis meis occupationibus breviter respondeo. Ac primum, quod de tabellariorum perfidia conquæreris, mihi quoque dolet. Non enim postrema causa, quod rarius etiam ad amicissimos scribo, quod metuo, ne meæ literæ in aliorum manus perveniant, quam quibus inscriptæ sunt. Nuncius sane, cui provinciales vestri & literas & pecuniam crediderunt, mihi plane ignotus est, quem etiam nunquam vidi, & nihilominus D. D. Provincialibus gratias egi, pro illorum grata & clementissima voluntate, & tu meo nomine idem facies. Quod de statu Ecclesiæ & Scholæ vestræ scribis, doleo. Verum tu mirari desinas, Satanam hoc modo tibi molestum esse. Cum enim tu regno cum expellere cupias, cur tibi se non opponeret? Tantum ergo abest, ut te ab officio vel loco deterreat, ut magis confirmatus hoc ceu certissimo signo officium facias, certus, te filio DEI & Ecclesiæ ipsius utiliter laborare. Maxime cum procerum voluntas in te sit præclara & constans. Quod ad M. Polycarpium, optarim sane, eum tecum esse; Sed num consultum sit, ut ex Austria discedat, & Flaccianis Ecclesias devastandas permittat, velim vos diligenter expendere. Conrector sanè. Sed scripsi D. Hirschio, me ipsorum liberrimæ voluntati totum negotium committere.

De Actionibus in Carinthia susceptis, nihil pronuciare possum. Metuo, Provinciales non recte institutos esse. Et vidisti, ut opinor, quid contra me Langius & Hauboldus Provincialibus exhibuerint, scriptum adeo contumeliosum, ut simile non viderim, quo spiritum suum produnt. Id cum annotationibus communicabit tibi D. Pronzelius, quem tibi de optima nota commendo, virum egregiè doctum, pium, modestum, quem D. D. Provinciales dimittere non debent. Plus enim habet in recessu, quam à fronte promittit. Literas ad Parentem scriptas, certo nuncio ad parentem mittam, ne in aliorum manus perveniant. Bene & feliciter vale. Raptim Tübingæ, 19. Decembris, 75.

*T. ex animo*

Jacobus Andræ.

CCIII.

*Salutem in Christo.*

**L**itteras tuas, Clarissimæ Vir, Domine & frater honorande, accepi; Ex quibus intellexi, te acquiescere meo consilio. Quod equidem mihi longè gratissimum fuit, cum propter te ipsum, tum etiam propter Ecclesiam & scholam. Cum enim ea omnia feceris, quæ ad pacem & tranquillitatem scholæ facere videntur, nec possis animis hominum imperare, cur animam tuam frustra affligeres? Mitte vadere sicut vadit, quia vult pervadere, sicut vadit. Quid ad te scribat D. L. Philippus filius,

Xxx 2

igno-

ignoro, sed in meum sinum deposuit quoque suas angustias. Quem eodem modo consolatus sum, sicut Te. Et oportet eum majora experiri, qui conatur expellere Saranam regno suo, cur vicissim contra eundem non insurgeret, non modo aperta vi, sed etiam per falsos fratres. Tu igitur, ne pedem retrahat, eum hortaberis & instabis. Dominus vires suppeditabit, & operatum dabit eventum, modo in vocatione perstemus. Mearum molestiarum, adversariorum, calumniatorum, hostium, neque numerus neque finis, ad quorum clamores & artes callum duxi. Idem vos quoque faciatis & valetudinem vestram confirmabitis & multis perturbationibus vos ipsos liberabitis. Bene & feliciter cum honestissima tua & liberis charissimis vale, quos simul omnes, unâ cura Collegis tuis, D. Flinnero inprimis, nostro nomine reverenter salutabis. Iterum vale. Raptim Tubingæ, 24. Decembris, 75.

*Tuus ex animo frater totus*

Jacobus Andreæ.

CCIV.

**S** Quanta læticia ex literis perfusus sim, facile æstimas. Et sanè & hæcenus animum meum afflixit diurnæ controversiæ consideratio, quam tibi molestissimam, Ecclesiæ & Scholæ parum frugiferam esse sciebam. Nec zamen unquam spem bonam abjeci, daturum Dominum, te in vivis conservato, ut sine tandem optimo terminaretur, nec sine singulari providentia Domini factum est, ut interveniret excitatus à D. Huberto paroxisimus, quo plenius fundamenta totius certaminis cognoscerentur, quæ non perinde omnibus satis perspicuè videntur fuisse intellecta, ac ne ipse quidem bonus Senex, licet à me per literas admonitus, satis animadverterit, se, dum sibi visus est pro Buceri nomine & ejus doctrina fideque pugnare, contra optimi Doctissimique Viri mentem asserere. Quæ, si viveret, vehementer sit improbaturus. Disputavit idem Bernæ An. 28. quæ paulò post longè aliter explicavit, nec retractare inconsultius tradita eum puduit. Adde quod colloquium cum Tigurinis habitum plenius exprimat ejus de hac controversia sententiam. Bene ergo habet, quod Capituli autoritate examinis formula confirmata est, quam etiam posteri retineant, & quieturum deinceps Conradum arbitror. Sed & cum Domino Sturmio ac suis tantò erit firmior reconciliatio facta, posteaquam pridem sincerae doctrinæ asserta professio ampliorem nunc restificationem habet, quam vix in hoc tanto totius Presbyterii consensu quisquam niteretur revellere. Exultant mecum & laudant Dominum charissimi collegæ mei, Coccius, Grynæus, Fieglinus, qui te amantèr & reverenter resalutant, felicemque hujus

Anni